

# **Badische Landesbibliothek Karlsruhe**

**Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe**

## **Nuclei evangelici pars festivalis**

**Trautmann, Samuel**

**Wittebergae, 1664**

Oraculum sacrum XXVII.

[urn:nbn:de:bsz:31-160375](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:bsz:31-160375)

## ORACULUM SACRUM XXVII.

1. Tim. II. 5.

Εἷς θεός, εἷς καὶ μεσίτης θεῶν καὶ ἀνθρώπων  
 ἀνθρώπου ὁ Χριστὸς Ἰησοῦς. Ὁ δὲς ἑαυτὸν αἰτί-  
 λυτρον ὑπὲρ πάντων.

*Latina versio Vulgata.*

Unus est DEUS, unus & Mediator, Dei &  
 hominum homo Christus Iesus. Qui dedit  
 semetipsum pretium redemptionis pro-  
 omnibus.

*Versio B. LUTHERI.*

Es ist ein Gott und ein Mittler  
 zwischen Gott und den Menschen/  
 nemlich der Mensch Christus Iesus/  
 der sich selbst gegeben hat für alle zur  
 Erlösung.

N O T A.

I. Unus est tantum verus Deus, teste, h. l.  
 Apostolo, E. multitudo Deorum non est fin-  
 genda. Quod notandum

1. Contra ETHNICOS, qui πολυθεότητα in-  
 troduxerunt, cujus erroris Cyrillus contra Jul.  
 & Justinum in Parzenf. primum autorem statu-  
 unt Orphea.

2. contra

2. Contra TRITHEITAS, qui tres Spiritus æternos, essentiali numero differentes, esse dixerunt.

3. Contra MARCIONITAS & MANICHÆOS, qui duos DEOS, unum bonum & alterum malum, sinxerunt.

4. Contra SOCINIANOS, qui itidem duos coinmunicantur DEOS, unum Majorem, alterum Minorem: unum Seniores & æternum, alium juniorem & recentem: unum independentem, alterum, qui ab alio dependeat: unum summum, alterum in N. T. factum & subordinatum. Hinc Smalcus in Refut. lib. de Error.

Arian. p. 56. adserit, posse esse plures Deos essentialia diversos ab illo uno, nec DEum unum dici eo sensu, quod talis sit solus, sed quia certo modo unus sit. Et Refut. 100. Error. p. 4. & 6. statuit, certissimum esse quod non UNUS tantum verus Deus sit. Item Angelos & homines esse veros Deos. Quæ emblemata non solum huic nostro sacro oraculo, sed & aliis clarissimis scripturæ testimoniis contrariantur, Vid. Deut. IV. 35. VI. 4. Esa. XLIV. 6. XLV. 22. 1. Cor. VIII. 4. Ephes. IV. 6. Jac. II. 19.

II. Est autem DEUS UNUS non unitate compositionis. Nam divina essentia est ἀνέκτιστος, partem extra partem non habens. Non unita

Qs te

ze generis: DEUS enim summum quidem genus est, sed sub se nullas habet species synonymas. Non unitate speciei: DEUS enim nulla sub se comprehendit individua. Non unitate accidentium. In DEUM enim non cadit accidens, sed unitate numeri & essentia, contra modo nominatos adversarios.

III. Christus h. l. non dicitur Mediator inter DEUM & semetipsum, sed mediator inter DEUM & HOMINES. E. non pro seipso, sed pro nobis sacrificium suum obtulit, contra Socinorum, existimantem, Christum non minus pro se, quam pro nobis obtulisse sacrificium. Vid. Soc. art. II. de Serv. Christo cap. XXII. & Praefat. Theol. c. XXIX. ubi ita discribit: *Sicut Pontifex legalis non minus pro se, quam pro populo offerebat: Ita & Christus non minus pro seipso, quam pro nobis obtulit.*

IV. Christus heic ab Apostolo dicitur *μεσίτης*. *Μεσίτης* autem tum apud profanos tum sacros scriptores propriè talem notat mediatorem, qui disidentes inter se invicem componit & alterum alteri conciliat. Apostolus hunc Mediatorem Christum graphicè describit:

1. *Ab unitate, quod sit UNUS Mediator.* Quemadmodum enim unus est omnium Deus: Ita quoque unus est omnium Mediator.

2. *Ab unitate*

2. à *Qualitate*, quod non sit vulgaris quidam Mediator, aut tantum divinæ voluntatis internuncius atq; interpret, quales internuncii in V. T. fuerunt propheta, & cum primis Moses de quo Apostolus: Lex data per manum Mediatoris Gal. III. 19. Quo loco per Mediatorem Moses intelligitur, quemadmodum hunc locum de Mose accipiunt Epiphanius hæres. 66. contra Manich. Theodoretus & Oecumenius comment. super h. l. ac pleriq; recentiores interpretes. Nam Moses hac in parte nihil præter internuncium egit in Deum & populum Israeliticum. Hinc ipse ait Deut. V. 5. Ego stans inter Dominum & inter vos in tempore illo ad annunciandum vobis verbum Domini. In N. T. tales internuncii fuerunt Apostoli, sed Christus est Mediator unicus, qualis non fuit Moses aut alius.

Hunc Mediatorem Apostolus depingit.

3. à *functionis gravitate*. Quo gravius dissidium, eò gravior quoq; requiritur labor ad reconciliationem partium disidentium. Jam verò heic nobis grave dissidium monstratur. Nam partes disidentes non sunt vicinus & vicinus, non frater & frater; sed creator & creaturæ: DEUS & homines. Ergò arduus omnino requirebatur labor ad reconciliationem Dei & hominum.

De-

Deniq; Apostolus versu seq. 6. hunc Mediatorem delineat.

4. *a fidelitate, quod partes Mediatoris ita expleverit, ut dederit semetipsum  $\alpha\iota\lambda\lambda\omega\tau\epsilon\sigma\iota\upsilon\pi\epsilon\rho\ \pi\acute{\alpha}\nu\tau\omega\upsilon$ . Quæ omnia non Mediatorem tantum internuncii, sed redemptionis & satisfactionis important, contra modò nominatum Socinum, contendentem, vocem  $\mu\epsilon\sigma\iota\tau\epsilon$  in sacris literis nihil aliud significare, quam eum, qui mediùs quidem inter duos h. e. inter DEum & homines, non tamen, qui DEum placet, sed quo utatur DEus ut INTERNUNCIO atq; interprete ad fidera sua cum hominibus pangenda & sancienda, & per quem illi ad ipsum ejus voluntatis instrueti cognitione accedere possint. Socino ad stipulatur Ostorodus in Germanica Instir. cap. 36. p. 222. & 223. existimans, Christum vocari Mediatorem h. e. Legatum à Deo missum, ad ipsius gratiam annunciandam.*

IV. Ex hoc sacro oraculo triplex prodit argumentum.

Primum fluit è verbis, unus est DEus, hunc in modum :

Quà ratione phrasis illa, unus est DEus, de Deo usurpatur, eadem ratione phrasis illa, Unus est Mediator, de Christo usurpatur.

Rationem consequentiæ heic agnoscunt Hieronymus & Justinianus. Sed

Sed phrasís illa, unus est DEus, ita de DEO usurpatur, ut nihil Deitatis tribuat hominibus.

E. etiam phrasís illa, unus est Mediator, ita de Christo usurpatur, ut nihil mediationis tribuat hominibus.

Alterum argumentum promanat, ex vocula *est* hunc in modum:

Si Christus est unicus mediator inter DEum & homines, utiq; præter illum plures mediatores non sunt fingendi aut qværendi.

Sed Christus unicus est Mediator inter DEam & homines, teste h. l. Apostolò.

E. præter illum plures Mediatores non sunt fingendi aut qværendi.

Tertium argumentum è versu sexto desumptum, ita procedit:

Quicumq; semetipsum dedit pretium redemptionis pro omnibus, ille est Mediator DEI & hominum.

Atqvi non sancti, sed solus sanctus sanctorum, Christus JESus dedit semetipsum pretium redemptionis pro omnibus, teste h. l. Apostolò.

E. non sancti, sed solus sanctus sanctorum, Christus JESus est Mediator DEI & hominum.

Hæc argumenta opponenda sunt

PON-

PONTIFICIIS, qui magnum Mediatorum Catalogum recensent. Hinc officium Mediatorum modo adscribunt SACERDOTI. Docent enim Misericordiam esse Mediatorem inter Deum, & homines, pro quibus Misericordiam celebrat. Vid. Catech. Racov. f. xiii. Modo hoc officium attribunt B. VIRGINI MARIE. Hinc Franciscus Labata Societatis Jesu concionator, Appendic. conc. tit. de Maria prop. 4. sic scribit. *Quorū millia fuerunt, sunt & erunt, qui jam in gehennam damnati fuissent, vel damnandi forent, nisi mater Dei pro illis intervenisset. Magna profecto, inquit, Laur. Justin. serm. de Annunciat. Maria, fuit gratia exuberans & completa, quae caelis dedit gloriam, terris Deum, gaudium praestitit Angelis, saeculog, pacem refudit, vitium imponit, fide gentes docuit, quomodo non est Maria, juxta Gabriellae oraculum, plena gratia, quae effecta est mater Dei, paradisi scala, janua caeli, inventrix mundi; Demonum fuga, peccatorum spes, DEI & HOMINUM VERISSIMA MEDIATRIX. MEDIATRIX DEI & HOMINUM & fons misericordiae indefinenter effundens rivos copiose gratiae Maria, te rogo, dulcissima mater Domini nostri Jesu Christi. Vid. Orat. i. S. Anselmi de quinque Doloribus B. Mariae. Levā regem, duc ad Regem, Maria cunctos visitans, ut sal-*



mediatorem redemptionis, & Mediatorem intercessionis, quam distinctionem habet Eccius in Enchir. p. 154. Philippus Boskierus in Acad. Peccatorum part. IV. conc. 21. p. 488. ita discribit: *Negare non possumus, Christum Jesum, ut inquit S. Johannes nos habere Advocatum in caelis, sed illum simpliciter unum esse hoc negamus. Unicum quidem concedimus Redemptorem non unicum intercessorem: In hoc enim Angelos & homines admittit socios. Aut unicus etiam est, quia nullus talis, qualis ipse mediator est. Ipse enim ut radix vivificat, & dat gratiam intercessionibus aliorum: Ideo semper per Dominum nostrum Jesum Christum claudit preces Ecclesiae. Unicus etiam, quia solus plus potest aliis singulis & omnibus. Phœnix & unicus in mediationis activitate, non unicus in intercedendi opere.* Sed hæc distinctio in sacris Literis nullum habet fundamentum. Nec intercessio apud Deum locum habere potest sine redemptione, à qua omnis vis intercessionis pendet. Taceo quod intercessio pro aliis, quæ fit per interpositionem meriti propriè, pertineat ad rationem mediationis.

D. IV. Christus dum mediator inter Deum & homines vocatur, Deus non negatur. Nam Mediatorem cum utraq; parte aliquid communis

nune habere oportet, ideo & sui ipsius mediator dicitur, 2. Cor. V. 19, *contra Arianos & Sozinianos.*

V. Vocabulum Homo heic non est nomen naturæ, sed personæ, non abstractum, sed concretum. Ideo non debet accipi *ἀκλειτικῶς* ta ut divinam naturam ab officio mediatorio excludat, sed *ἐϋχικῶς* inclusive. Quemadmodum enim Filius hominis venisse dicitur, ut *salvare* & salvare quod perierat. Luc. XIX. 10. nec tamen hoc de humana tantum natura intelligendum, nam & ipse Elohim dicitur venire & nos salvos facere, Ef. XXXV. 4. Ita quoque I. HOMO Christus Iesus dicitur noster mediator, nec tamen divina natura excluditur. Jam opus Mediatoris spectat ad officium Christi, quod est nos à peccatis salvare, & cœlesti suo patri reconciliare. In officio autem Christi utraq; natura agit, quod sibi proprium est, cum communicatione alterius, ut habet Concilium Concilii Chalcedonensis. Taceo quod Mediator non solum HOMO, sed etiam IESUS adpellatur, quo nomine simul divina Christi natura intelligitur. *Quod notandum contra Lombardum, Bellarminum, Thomam, Benedictum Justinianum, & Franciscum Stancarum, qui ex h. l. Christum tantum secundum humanam*

R

natura

ram nostrum Mediatorem esse, probare conatur.

Nec est quod adversarii obvertant. Paulus h. l. expressè distingvit DEUM à mediatore.

E. indigitat, Christum non esse Mediatorem secundum Deitatem. Vocabulum enim DEI h. l. non accipitur *ἁποθωδῶς*, sed *ὑποκειμένως* non absolute, sed relative. Quemadmodum enim solus filius incarnatus est, non simul Pater & Spiritus Sanctus: Ita solus Filius est noster Mediator, non pater & Spiritus Sanctus.

Flura adversariorum sophismata in medium producere & refellere, mei non est instituti. Qui ea desiderat, adeat Brochm. in Pandect. cap. VII. quæst. 5.

#### PATRUM SUFFRAGIUM.

De

### Christo Mediatore secundum

#### UTRAMQ; NATURAM.

Non Mediator homo præter deitatem. non Mediator DEUS præter humanitatem. Ecce Mediator. Divinitas sine humanitate non est mediatrix, sed inter divinitatem solam, & inter humanitatem solam mediatrix est humana DEITAS, & divina humanitas Christi, August. declarat. hom. de ovibus c. 11.

Qvæ

Quærendus est Mediator, qui non solum  
homo, verum etiam DEUS sit, *Idem l. 9. de*  
*C. D.*

## De UNO Mediatore.

De UNO SOLO Mediatore Dei & hominum

JESU Christo fides catholica novit, *Idem in sent.*

*1713. T. 3. col. 1068. D.*

Verus Mediator, quem secretæ tuæ misere-  
cordiæ demonstrasti humilibus HOMO Chri-  
stus JESUS, inter mortales peccatores, & im-  
mortalem justum adparuit; Merito mihi spes  
valida in illo est, quod sanabis omnes Langvo-  
res meos per illum, qui sedet ad dextram tuam,  
& te interpellat pro nobis, alioquin despera-  
rem; contritus peccatis meis, & mole miseriae  
nostræ meditatus fueram fugam, sed prohibuisti  
me & confirmasti me, dicens: Ideo pro omni-  
bus Christus mortuus est. Ecce Domine, jacto  
in te curam meam & vivam, *Idem lib. 10. Con-  
ess. cap. 43.*

Homines Christiani invicem se commen-  
dant orationibus suis, pro quo autem nullus in-  
terpellat, sed ipse pro omnibus Hic UNICUS  
JESUSq; MEDIATOR est. Paulus autem,  
vanquã sub capite præcipuum membrum, sed  
amen quia membrum est, se orationibus fide-  
lium

R 2

lium

lium & ipse commendat. Nec Mediatorem se facit inter populum & DEUM, sed rogat ut pro se orent invicem omnia membra corporis Christi. Ac sic oratio pro invicem membrorum omnium adhuc in terra laborantium ascendat ad caput, quod precescit in cœlum, in quo est propitiatio pro peccatis nostris: Nam si esset Mediator Paulus, essent utiq; & cœteri, coapostoli ejus; & sic MULTI MEDIATORES essent, nec ipsi Paulo constaret, ratio, quæ dixerat UNUS est MEDIATOR, *Ita idem officium Mediatoris Christi rectè considerat lib. 2. contr. Parmen. cap. 8.*

Et TANTIUM de hoc sacro  
craculo,

Sequntur Rhythmi Germanici, pro juventute  
Scholastica.

Do Christi Jünger ist in tausend Aengsten  
schweben/  
Do sie mit Traurigkeit und grosser Furcht  
umbgeben/  
Do kompt der Friede-Fürst tritt selber  
mitten ein/  
Und zeuget klärlich an/ Er wolle Mit-  
ler seyn.

Ex v. 45.

*Optimus interpres scripturae Christus: ad istum  
Confuge Doctorem sic vagus error abit.*

## ORACULUM SACRUM XXVIII

Pf. CXIX. 125.

Textus Ebraeus cum interlineari  
Pagnini.

*me intelligere fac ego tuus servus Jehovah*

יהוה עבדך אני הכיניני

*tua testimonia sciam &  
וארעה ערותיך*

*Versio Vulgata.*

Domine, servus tuus ego: da mihi  
intellectum, ut sciam testimonia tua.

*Versio B. LUTHERI.*

HERR ich bin dein Knecht/ un-  
terweise mich/ denn ich erkenne deine  
Zeugnüsse.

N O T A.

1. Quia mysteria fidei corrupti nostri intel-  
lectus sphaeram excedunt, ideo requiritur Nu-  
minis divini irradiatio, ad quam impetrandam  
R 3 preces